

Præter. Illud quod admittit affirmationem, & negationem magis affirmatio, consideratur, quam negatio. Sed vnum dicit simul affirmationem, & negationem, ergo magis affirmationem, sed affirmatio dicit positionem, ergo vnum dicit positionem.

*Regula Docto-
ris.*

Præter. Exemplum. Certum est quod Materia prima dicit duo hæc, videlicet affirmationem, & negationem. Nam dicitur esse pura potentia in genere substantiæ, & simul dicit negationem, quod non est, nec quid, nec quantum, nec quale. Sed primum dicit positionem.

Præter. Quod dat esse specificum, dicitur esse positum. At vnum dat esse specificum, quia dat actum multitudinis, vt d. Phyl. Diu. 5. cap. de quali. Nam inquit. Senarius non dicitur formaliter bis tria, sed semel sex, & ista est sua ratio formalis, sed semel dicitur esse ab vnitatem, ergo vnum dicit positionem.

Præter. Dicit Doctor. Id quod dicit perfectionem habet rationem actus, & formæ. Sed vnum dicit perfectionem, ergo actus, ergo formæ, ergo positum. Quia forma est. Exempla ponit. Nam.

In corporeum: Immortale: Impassibile, & indiuisibile dicunt perfectionem supra corporeis, mortalibus, passibilibus, & diuisibilibus, ergo positionem.

Præter. Vltimo facit hanc regulam. Quæ sunt difficilia intellectu, primo concipiuntur à nobis sub ratione priuationis, quam positionis. Nam materia prima, cum sit difficilis cognitu, sic punctus, primo cognoscuntur sub ratione, quod non sunt, nec quid, nec quale, nec quantum: Sic punctus est id cuius pars nulla est. A pari dicimus, quod vnum est primum sub negatione quid indiuisibile. Sic Deus primum cognoscitur quid non sit, quam quid sit. Non tamen sequitur, quod non sit positum, & ita miror de tanto viro, quomodo dixerit non esse quid positum.

Modo insurgit Doctor iste, & probat quod vnum non dicat quid positum.

R A T I O N E S

Aureolæ quod vnum nullo pacto dicat positionem.

Arg. 1. Priuatio non dicit positionem, sed vnum opponitur priuatiue multo, ergo non dicit positionem. Maior vera. Probo minorem ex com. 10. Diu. com. 9. Vnum est oppositum multo priuatiue, ergo.

Arg. 2. Arist. 10. Metaph. com. 9. Dicit quod vnum opponitur multo sicut diuisio, & non diuisio, sed non diuisio, dicit Priuationem: priuatio nil ponit positum, ergo vnum dicit non positionem.

Confirmatur ex Auerroe in Commentario. Vnum opponitur sicut habitus, & priuatio. Indiuiduum est priuatio diuisibilitatis.

Idem asserit infra dicens Vnum & multum non opponuntur, nec contrarie, nec contradictorie, nec relative, sed per modum habitus, & priuationis, ergo.

Multum est habitus, quia est manifestus in numeris: Sed quod magis manifestat habet rationem habitus, ergo vnum dicit priuationem.

Arg. 3. Probat ex com. 10. Diu. com. 2. & 3. Vnum vt indiuisibile non potest augeri, nec diminui, cum sit mensura, ergo dicit priuationem, quia priuatio est carentia formæ in subiecto apto nato.

Idem asserit 3. Metaph. com. 7. Vnum numero dicitur esse in diuisibile secundum, intellectum in quanto quali, & positione.

Idem 3. Phyl. com. & tex. 48. Vnum est in diuisibile vere: Cum vere vnum sit. Vt vnus homo.

S O L V T I O N E S

Argumentorum.

At pro responsionibus obseruat Doctor in secundo Articulo, quod Vnum sumitur dupliciter.

*Vnum duplici-
sumitur.*

1. Modo secundum veritatem rei. } Si sumatur primo modo secundum rei veritatem, sic dicit rem.

2. Modo secundum famositatem. } positiuam, & principium omnis positionis rerum.

Si vero sumatur secundo modo, secundum famositatem, sic asserit quod dicit priuationem, & non positionem. Exemplum de incorporeo: Immortali, & impassibili quæ dicuntur solum, secundum famositatem priuatiua, sed secundum veritatem sunt positiua. Sic Deus est Immortalis impassibilis, & est actus purissimus, & positissimus. Immo istæ voces immortalis, & impassibilis, excludunt quancunque priuationem, & defectum.

Data hac distinctione. Dico vnica responsione, quod vnum esse priuationem multitudinis est verum secundum famositatem, non autem secundum rem. Quoniam realiter est quid positum.

Addo concedo, quod dicit priuationem multorum entium, non tamen dicit priuationem entis vnus.

Præter. Dico quod Aristot. in 5. distinguit entia secundum suas famosiores acceptiones inter quas vna est ista, quod vnum sit mensura vt indiuisibile: Tamen si strictè sumatur dicitur esse natura simplicissima, & positiua.

Ideo vnum non est pura priuatio, vt cæcitas, surditas, & Tenebræ, sed secundum quid, & sic soluantur omnes difficultates.

Hæc pro præsentis. Vbi stat conclusio. Quod Vnum dicit cum priuatione indiuisibilitatis, positionem naturæ simplicissimæ.